

SABBATO

Homilia S. Augustini Episcopi.

SERMO 292.

140 **V**ox Ioannes, Dominus autem in principio erat Verbum, (IOANN. I. 1). Ioannes vox ad tempus, Christus Verbum in principio aeternum. Tolle verbum, quid est vox? Ubi nullus est intellectus, inanis est strepitus. Vox sine verbo aurem pulsat, cor non aedificat. Verumtamen in ipso corde nostro aedificando advertamus ordinem rerum. Si cogito quid dicam, iam verbum est in corde meo: sed loqui ad te volens, quaero quemadmodum sit etiam in corde tuo, quod iam est in meo. Hoc quaerens quomodo ad te perveniat, et in corde tuo insideat verbum quod iam est in corde meo, assumo vocem, et assumpta voce loquor tibi: sonus vocis ducit ad te intellectum verbi: et cum ad te duxit sonus vocis intellectum verbi, sonus quidem ipse pertransit; verbum autem quod ad te sonus perduxit, iam est in corde tuo, nec recessit a meo. Sonus ergo, transacto verbo ad te, nonne tibi videtur dicere sonus ipse: *Illum oportet crescere, me autem minui?* Sonus vocis strepuit in ministerium, et abiit, quasi dicens: *Hoc gaudium meum completum est* (IOANN. III, 39, 29). Verbum te neamus, verbum medullitus conceptum non amittamus. Vis videre vocem transuentem, et Verbi divinitatem manentem? Baptismus Ioannis modo ubi est? Ministravit, et abiit. Christi nunc Baptismus frequentatur. Omnes in Christum credimus, salutem in Christo speramus: hoc sonuit vox. Nam quia discernere difficile est a voce verbum, et ipse Ioannes putatus est Christus. Vox verbum putata est: sed agnovit se vox, ne of-

fenderet verbum. *Non sum*, inquit, *Christus, nec Elias, nec propheta*. Responsum est: *Tu ergo quis es? Ego sum*, inquit, *vos clamantis in eremo: Parate viam Domino* (Ibid. I, 20-23). *Vox clamantis in eremo*, vox rumpentis silentium. *Parate viam Domino*, tamquam diceret: Ego iudeo sono, ut illum in cor introduceam: sed quo introduceam non dignatur venire, nisi viam praeparatis. Quid est, *Viam parate*; nisi, congrue supplicate? Quid est, *Viam parate*; nisi, humiliter cogitate? Ab ipso accipite humilitatis exemplum. Putatur Christus, dicit se non esse quod putatur, nec ad suum fastum errorem assumit alienum. Si diceret, Ego sum Christus; quam facillime crederetur, qui antequam diceret crederetur? Non dixit: agnovit se, distinxit se, humiliavit se. Vidit ubi haberet salutem: lucernam se intellexit, et ne exstingueretur vento superbiae timuit.

141 Haec enim dispositio placuit Deo, ut tantae gratiae homo testimonium perhiberet Christo, qui posset putari Christus. Denique *in natis mulierum*, sicut dixit ipse Christus, *nemo exsurrexit maior Ioanne Baptista* (MATTH. XI, 11). Si hoc homine nullus erat maior homo, qui maior est illo, plus est quam homo. Magnum testimonium Christi de se ipso, sed lippientibus et infirmis oculis parum de se testificatur dies. Infirmi oculi diem expavescent, lucernam ferunt. Ideo praemisit lucernam dies venturus. Sed in corda fidelium lucernam praemisit, ad confundenda corda infidelium. *Paravi*, inquit, *lucernam Christo meo*: Deus Pater in prophetia loquens: *Paravi lucernam Christo meo*; Ioannem Salvatori praeconem, iudici praecursorem venturo, futuro amicum sponso. *Paravi*, inquit, *lucernam Christo meo*. Quare parasti? *Inimicos eius induam confusione*: *super ipsum autem florebit sanctificatio*

mea (PSAL. CXXXI, 17, 18). Quomodo per hanc lucernam inimici eius induti sunt confusione? Evangelium perscrutemur. Calumniantes Iudaei Domino dixerunt: *In qua potestate ista facis? Si tu es Christus, dic nobis palam*. Causam quaerebant, non fidem; unde insidiarentur, non unde liberarentur. Denique qui corda eorum vidit, attendite quid respondit confusus eos de lucerna. *Interrogo*, inquit, *etiam vos unum sermonem: Dicite mihi, Baptisma Ioannis unde est? de caelo, an ex hominibus?* Illi continuo repercusit, et quamvis tenuiter radiante die, ad palpandum compulsi, quoniam claritatem illam speculati non poterant, ad sui cordis tenebras confugerunt, et ibi secum turbari coeperunt, offendentes et ruentes. *Si dixerimus*, inquit: hoc apud se ipsos, ubi cogitabant, sed quo ille cerebat: *Si dixerimus*, inquit: *De caelo est; dicit nobis, Quare ergo non credidistis ei?* Ipse enim testimonium perhibuerat Christo Domino. *Si autem dixerimus: Ab hominibus; lapidant nos populi*: quia propheta magnus Ioannes habebatur. Et dixerunt: *Nescimus*. Nescitis: in tenebris estis, lumen amittitis. Quanto enim melius, si forte tenebrae in corde humano versantur, lumen admittere, non amittere. Ubi dixerunt: *Nescimus*, ait Dominus: *Nec ego dico vobis in qua potestate ista facio* (MATTH. XXI, 23-27). Scio enim quo corde dixeritis, *Nescimus*, non volentes doceri, sed timentes confiteri.

Varia de Adventu, ex S. Carolo Borromeo, (ACTA ECCLESIAE MEDIOLANENSIS, II, 920).

142 **N**unc ergo, dilectissimi, magnum illud mysterium quod sacro Adventus tempore nobis exhibetur, saltem ex parte comprehendatis: item quid a nobis indeo pro gratiarum actione, dispositione, quantumque pro illa misericordia, quam equidem

hoc tempore nobis olim significavit, et nobis communicare praesto est, apparatus Ecclesiae sedulo adeo a nobis expositi, considerate.

143 **M**onita habetis, quibus ex pastoralis nostro officio nostra haec littera munitur.

144 **S**uperest ergo ut vos omni cura et sollicitudine, quae vere Christianos decet, in his quae ex parte vestra requiruntur, ut par est, nil quiddam omis- sisse nitamini.

145 **Q**uibus observatis ex infinita Dei clementia hunc vobis sua gratia ita speretis affuturum, ut plura adhuc quam expectimus, agatis.

145 **H**oc veli pro sua misericordia praestitisse, quod ab eo continuo exposcentes, in eius nomine benedictionem vobis impertimur.

Mediolani, 21 Novembris 1573.

DOMINICA III. ADVENTUS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.

Ioann. I, 19-28.

In illo tempore: Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?

20. Et confessus est, et non negavit: et confessus est: Quia non sum ego Christus.

21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.

22. Dixerunt ergo ei: Qui es, ut responsum demus his, qui miserant nos? quid dicis de teipso?

23. Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.

24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis.

25. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?

26. Respondit eis Ioannes dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.

27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrigiam calcemanti.

28. Haec in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

Homilia S. Gregorii Papae.

HOMILIA VII. IN EVANGELIO: *Habita ad populum in basilica sancti Petri Apostoli, Dominica quarta in Adventu Domini.*

147 **R**ex huius nobis lectionis verbis, fratres charissimi, Ioannis humilitas commendatur, qui cum tantae virtutis esset ut Christus credi potuisset, elegit solide subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter

super se. Nam *confessus est, et non negavit, et confessus est: Quia non sum ego Christus*. Sed quia dixit, *Non sum*, negavit plane quod non erat, sed non negavit quod erat, ut veritatem loquens, eius membrum fieret cuius sibi nomen fallaciter non usurparet. Cum ergo non vult appetere nomen Christi, factus est membrum Christi, quia dum infirmitatem suam studuit humiliter agnoscere, illius celsitudinem meruit veraciter obtinere. Sed cum ex lectione alia Redemptoris nostri sententia ad mentem reducit, ex huius lectionis verbis nobis quaestio valde implexa generatur. Alio quippe in loco inquisitus a discipulis Dominus de Eliae adventu, respondit: *Elias iam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eum quaecumque voluerunt. Et si vultis scire, Ioannes ipse est Elias* (MATTH. XVII, 12). Requisitus autem Ioannes, dicit: *Non sum Elias*. Quid est hoc, fratres charissimi, quia quod Veritas affirmat, hoc propheta Veritatis negat? Valde namque inter se diversa sunt *Ipse est et, Non sum*. Quomodo ergo propheta Veritatis est, si eiusdem Veritatis sermonibus concors non est? Sed si subtiliter veritas ipsa requiratur, hoc quod inter se contrarium sonuit, quomodo contrarium non sit invenitur. Ad Zachariam namque de Ioanne Angelus dicit: *Ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae* (LUC. 1, 17). Qui idcirco venturus in spiritu et virtute Eliae dicitur, quia sicut Eliae secundum Domini adventum praeveniet, ita Ioannes praevenit primum. Sicut ille praecursor venturus est iudicis, ita iste praecursor est factus Redemptoris. Ioannes igitur in spiritu Eliae erat, in persona Eliae non erat. Quod ergo Dominus fatetur de spiritu, hoc Ioannes denegat de persona, quia et iustum sic erat, ut et discipulis Dominus spiritalem de Ioanne sententiam

diceret, et Ioannes idem turbis carnalibus non de suo spiritu, sed de corpore responderet. Contrarium ergo veritati videtur esse quod Ioannes sonuit, sed tamen a veritatis tramite non recessit.

Qui cum se etiam prophetam negat, 148 quia videlicet non solum poterat Redemptorem praedicare, sed etiam demonstrare, quisnam sit, continuo exprimit, dum subiungit: *Ego vox clamantis in deserto*. Scitis, fratres charissimi, quia unigenitus Filius Verbum Patris vocatur, Ioanne attestante, qui ait: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (IOANN. I, 1). Et ex ipsa vestra locutione cognoscitis quia prius vox sonat, ut verbum postmodum possit audiri. Ioannes ergo vocem se esse assertit, quia Verbum praecedit. Adventum itaque Dominicum praecurrens, vox dicitur, quia per eius ministerium Patris Verbum ab hominibus auditur. Qui etiam in deserto clamat, quia derelictae destitutaeque Iudaeae solatium Redemptoris annuntiat. Quid autem clamat insinuat cum subiungit: *Dirigite viam Domini*, sicut dixit Isaias propheta (IS. XL, 3). Via Domini ad cor dirigitur, cum veritatis sermo humiliter auditur. Via Domini ad cor dirigitur cum ad praecceptum vita praeparatur. Unde scriptum est: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (IOANN. XIV, 23). Quisquis ergo in superbiam mentem elevat, quisquis avaritiae aestibus anhelat, quisquis se luxuriae iniquationibus pluit, cordis ostium contra veritatem claudit; et ne ad se Dominus veniat, claustra animi seris vitiorum damnat.

Sed adhuc qui missi sunt percontantur: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* Quod

quia non studio cognoscendae veritatis, sed malitia exercendae aemulationis dicitur, Evangelista tacite innouit cum subiungit, dicens: *Et qui missi fuerant erant ex Pharisaeis*. Ac si aperte dicat: Illi Ioannem de suis actibus requirunt, qui doctrinam nesciunt quaerere, sed invidere. Sed sanctus quisque etiam cum perversa mente requiritur, a bonitatis suae studio non mutatur. Unde Ioannes quoque ad verba invidiae praedicamenta respondit vitae. Nam protinus adiungit: *Ego baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis*. Ioannes non spiritu, sed aqua baptizat, quia, peccata solvere non valens, baptizatorum corpora per aquam lavat, sed tamen mentem per veniam non lavat. Cur ergo baptizat qui peccata per baptisma non relaxat, nisi ut, praecursoris suae ordinem servans, qui nasciturum nascendo praevenerat, baptizaturum quoque Dominum baptizando praeveneret; et qui praedicando factus est praecursor Christi, baptizando etiam praecursor eius fieret imitatione sacramenti? Qui inter haec mysterium annuntians, hunc in medio hominum et stetitisse assertit, et nesciri, quia per carnem Dominus apparet, et visibilis existit corpore et invisibilis maiestate. De quo etiam subdit: *Qui post me venit, ante me factus est*. Sic namque dicitur: *Ante me factus, ac si dicatur, Ante me positus*. Post me ergo venit, quia postmodum natus; ante me autem factus est, quia mihi praelatus. Sed haec paulo superius dicens etiam praelationis eius causas aperuit, cum subiunxit: *Quia prior me erat*. Ac si aperte dicat: Indé me etiam post natus superat, quo cum nativitatis suae tempora non angustant. Nam qui per matrem in tempore nascitur, sine tempore est a Patre generatus. Cui quantae reverentiae humilitatem debeat subdendo mani-

festat: *Cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamenti* (MARC. I, 7). Mos apud veteres fuit ut si quis eam quae sibi competeret accipere uxorem nollet, ille ei calceamentum solveret qui ad hanc sponsus iure propinquitatis veniret. Quid igitur inter homines Christus, nisi sanctae Ecclesiae sponsus apparuit? De quo et idem Ioannes dicit: *Qui habet sponsam, sponsus est* (IOANN. III, 29). Sed quia Ioannem homines Christum esse putaverunt, quod idem Ioannes negat, recte se indignum esse ad solventam corrigiam eius calceamenti denuntiat. Ac si aperte dicat: Ego Redemptoris nostri vestigia denudare non valeo, quia sponsi nomen mihi immerito non usurpo. Quod tamen intelligi et aliter potest. Quis enim nesciat quod calceamenta ex mortuis animalibus fiunt? Incarnatus vero Dominus veniens, quasi calceatus apparuit, quia in divinitate sua morticina nostrae corruptionis assumpsit. Unde etiam per Prophetam dicit: *In Idumaeam extendam calceamentum meum* (PSAL. LIX, 10). Per Idumaeam quippe gentilitas, per calceamentum vero assumpta mortalitas designatur. In Idumaeam ergo Dominus calceamentum suum se extendere assertit, quia dum per carnem gentibus innotuit, quasi calceata ad nos divinitas venit. Sed huius incarnationis mysterium humanus oculus penetrare non sufficit. Investigari etenim nullatenus potest quomodo corporatur Verbum, quomodo summus et vivificator spiritus intra uterum matris animatur, quomodo is qui initium non habet, et existit, et concipitur. Corrigeria ergo calceamenti est ligatura mysterii. Ioannes itaque solvere corrigiam calceamenti eius non valet, quia incarnationis eius mysterium nec ipse investigare sufficit, qui hanc per prophetiae spiritum agnovit. Quid est ergo dicere: *Non sum dignus solvere cor-*

rigiam calcamenti eius, nisi aperte et humiliter suam ignorantiam profiteri? Ac si patenter dicat: Quid mirum si ille mihi praelatus est, quem post me quidem natum considero, sed nativitas eius mysterium non apprehendo? Ecce Ioannes prophetiae spiritu impletus, mira scientia emicat, et tamen illud de se insinuat quod ignorat.

150 Qua in re pensandum nobis est, fratres charissimi, et tota intentione cogitandum, quomodo sancti viri, ut humilitatis in se virtutem custodiant, cum quaedam mirabiliter sciunt, illud ante mentis oculos student revocare quod nesciunt, ut dum ex parte alia infirmitatem suam considerant, ex ea parte qua perfectus est, eorum se animus non extolat. Scientia etenim virtus est, humilitas etiam custos virtutis. Restat ergo ut in omne quod scit sese mens deprimat, ne quod virtus scientiae congregat, ventus elationis tollat. Cum bona, fratres, agitis, semper ad memoriam male acta revocate, ut dum caute culpa conspicitur numquam de bono opere incaute animus laetetur. Superiores invicem, eos maxime qui vobis commissi non sunt, proximos vestros attendite, quia et quos agere aliqua prava conspicitis, quae in eis lateant bona nescitis. Magnus ergo unusquisque esse studeat, sed tamen aliquo modo esse se nesciat, ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat. Hinc etenim per Prophetam dicitur: *Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes* (Is. v, 21). Hinc Paulus ait: *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos* (Rom. xii, 16). Hinc contra superbientem Saul dicitur: *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribus Israel factus es* (I REG. xv, 17). Ac si aperte diceretur: Cum tu te parvulum conspiceres, ego te prae ceteris magnum feci. Quia vero tu te

magnum conspicias, a me parvus aestimaris. Quo contra cum David regni sui potentiam coram arca foederis Domini saltando despiceret, dixit: *Ludam et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis* (II REG. vi, 22). Quem enim non extolleret ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliath sternere, a rege proposita extinctis allophyliis numerosa praepudia reportare, regnum ex promissione percipere, cunctumque Israeliticum populum sine ulla postmodum contradictione possidere? Et tamen in cunctis se despicit, qui in suis oculis se esse humilem confitetur. Si ergo sancti viri etiam cum agunt fortia, de semetipsis vilia sentiunt, quid in sua excusatione dicturi sunt qui sine opere virtutis intumescunt? Sed etsi qualibet bona adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione non elevat, sed gravat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, in ventum pulverem portat; et unde aliquis ferre cernitur, inde deterius caecatur. In cunctis ergo quae agitis, fratres mei, radicem boni operis humilitatem tenete; nec quibus iam superiores, sed quibus adhuc inferiores estis, aspiciet, ut dum meliorum vobis exempla proponitis, ad maiora semper ascendere ex humilitate valeatis.

Varia de Adventu, ex Grancolas.
COMMENT. HIST. IN BRUV. ROM., 196.

DOMINICA ista plerumque *Dominica de Gaudete* dicitur, quia Missae introitus a *Gaudete* incipit. Romae maxime solemnis erat; atque in quibusdam Ordinibus habetur, Sabbato praecedenti ad vespertas consuevisse recitari psalmos de Dominica, *Dixit, et Laudate* (Dominum) omnes gentes quinti

Psalmi loco, cum quinque antiphonis Laudum tertiae Dominicae; et nocti stationem apud S. Petrum fuisset; quo ante Matutinum processionem instituebant, et nocturnum tres psalmos, tres antiphonas, tres lectiones, ac tria responsoria habentem canebant. Lectiones istae ex Isaia erant: *Gaudens gaudebo*. Inde *Te Deum*, postea dicebantur tres nocturni eius diei proprii, cum antiphonis, et responsoriis propriis; invitatorium erat: *Ecce venit Dominus rex, occurramus obviam Salvatori*. Antiphonae Laudum, et responsoria Matutini eadem cum illis erant, quae nos recitamus; lectiones primi nocturni erant, ut in minori officio iam recitato, ex Isaia petita, *Gaudens gaudebo*. Ad secundum nocturnum legebatur Epistola S. Leonis ad Flavianum de Incarnationis Mysterio, legebaturque a Cardinalibus. Duae prior lectiones terti nocturni Patris alieius explanationem in Isaiam continebant, postremam vero lectionem Papa legebat, quae Homilia erat in Evangelio eius diei. Postea Primicerius praecinebat *Te Deum*; missamque ea die Papa celebrabat, et *Gloria in Excelsis* dicebat.

152 Hodie aliud est invitatorium, et cum Natalis non longe absit, dicitur: *Prope est iam Dominus*.

FERIA SECUNDA

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.
COMMENT. IN IOANN. CAP. I.

153 **H**oc est testimonium Ioannis. Egit supra de manifestatione Verbi incarnati in generali, hic agit in speciali; et dividitur haec pars, quia ipsum est sui manifestativum et manifestatur per vocem; ideo habet haec pars duas partes. In prima agit de manifestatione facta per Ioannem, qui fuit vox praecurrens Verbum. In secunda de manifestatione facta per ipsum Verbum, infra eodem: *In crastinum voluit exire*.

154 Pars prima habet tres partes secundum tria testimonia Ioannis, quae sic distinguuntur. Primum est de *natura-rum duarum veritate*; secundum est de *baptizandi potestate*; tertium vero, de

sanctitate. — Vel aliter etiam distinguuntur: quia primum fuit factum *Pharisaeis*; secundum, *turbis*; tertium vero *Ioannis discipulis*. — Tertio modo sic: quia primum testimonium perhibitum est, Christo *absente*; secundum, Christo ad eum *veniente*; tertium, ante eum *deambulante*. Primum testimonium notatur hic: *Et hoc est testimonium*; secundum ibi: *Altera die*; tertium ibi: *Altera iterum die*.

155 Prima pars, in qua testimonium ponit, Christo *absente*, habet duas, quia primo quaerentibus respondet veritatem de se *ipso*; secundo vero de *Christo*, ibi: *Et qui missi fuerant erant ex Pharisaeis*.

156 Veritatem ergo, qua de se *ipso* respondit quaerentibus, hoc ordine describit Evangelista: primo in quaerentibus insinuat *auctoritatem*; secundo, in Ioanne *stabilitatem*; tertio, in quaerentibus *importunitatem*; quarto vero, in Ioanne *humilem veritatem*.

157 Quaerentium igitur *auctoritatem* insinuat: quia erant personae authenticae et auctorizabiliter missae, quibus Ioannes perhibet testimonium; propterea dicit: *Et hoc est testimonium Ioannis*. Ita dictum est supra, quod "Ioannes testimonium perhibet"; modo specificat: *Et hoc est testimonium Ioannis*, et demonstrat testimonium cum suis circumstantiis. *Hoc*, pronomen, *hoc*, quando *miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas*; ecce, personarum auctoritas, quia missi erant et honorabiles erant; infra quinto: "Vos misistis ad Ioannem, et ille testimonium perhibuit veritati"; *miserunt*, inquam, *ut interrogarent eum: tu qui es?* in persona scilicet omnium. Simili modo misit Ioannes discipulos suos, ut quaerent in persona sua, ad Christum; Matthaei undecimo: "Mittens Ioannes duos ex di-

scipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? „ Hoc volebant quaerere Iudaei per levitas.

158 *Et confessus est.* Tangitur hic secundum, scilicet *Ioannis stabilitas*, qui non fuit eorum auctoritate perterritus, ut a vera confessione declinaret. Ideo dicit: *Et confessus est, et non negavit*, id est, veram confessionem fecit et in ipsa permansit; secundae ad Corinthios primo: „ Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo est et non; sed est in illo est „ *Et confessus est*, veritatem scilicet, quia non sum ego Christus. Respondit magis intentioni quam questioni. De hac fidei confessione Matthaei decimo: „ Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo „ Ioannes maxime confessus est, quia cum posset reputari Christus, noluit; Gregorius: „ Dum non vult appetere nomen Christi, factus est membrum Christi „

159 *Et interrogaverunt eum.* Tangitur hic tertium, scilicet *quaerentium importunitas*, quia non desistunt unica responsione, sed instanter quaerunt; ideo dicit: *Et interrogaverunt eum: Quid ergo? id est, quid es, si non es Christus? Elias es tu? El dixit: Non sum.* Et adhuc instant: *Propheta es tu?* aliquis scilicet minor. *Et respondit: Non.* Ideo generaliter de aliis Prophetis quaerunt, de Elia specialiter, quia Eliam credebant praecedere Christum; Matthaei decimo septimo: „ Quid dicunt Scribae, quia Eliam oportet venire primum? „ Sed adhuc instant:

160 *Dixerunt ergo ei: Quis es? Adhuc instant et rationem instantiae dicunt: Ut responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de te ipso? Stultum videbatur eis redire ad mittentes sine certa responsione. Nam sapientis nuntii est responsa certa referre; Proverbiorum*

vigesimo secundo: „ Ecce, descripsi tibi sapientiam ut eloquia veritatis responderes ex his illis qui miserunt te „

Ait: Ego vox clamantis. Tangitur hic quartum, scilicet in responsione *humilis veritas; humilis*, quia non sibi dignitatem attribuit, sed officium. Ideo ait: *Ego vox clamantis in deserto; clamantis*, inquam, hoc: *Dirigite viam Domini.* Ad litteram Ioannes in deserto clamabat; Matthaei tertio: „ Venit Ioannes praedicans in deserto Iudaeae et clamabat: *Dirigite viam Domini* „; quia praedicabat poenitentiam, per quam dirigitur via peccatoris ad Dominum, quae scilicet *obliqua* est, quamdiu peccat, *dirigitur* vero per mandatorum observantiam; unde infra decimo quarto: „ Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus „. Sic dirigitur via Domini ad cor; et hoc officium confirmat testimonio Isaiae: *Sicut dicit Isaias propheta; Isaiae* quadragésimo: „ *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini* „.

Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de interrogatione Iudaeorum. Cum enim scirent originem Ioannis et vitam, ad quid quaerunt: *Tu quis es?*

Et respondendum est ad hoc, quod quis aliquando quaerit *substantiam*, ut cum dicitur: quis fecit hoc vel illud? Aliquando *proprium nominationem*, ut dicit Priscianus:

Quis, pater, ille virum qui sic comitatur eum?

Aliquando specialiter inter alias condiciones quaerit *dignitatem*; nam personae dignae et eminentes *personae ecclesiasticae* vocantur. Ideo hic dicitur, quod etsi scirent *originem, vitam et nomen*, tamen dubitabant de *dignitate*.

Quaest. II. Item de responsione Ioan-

nis quaeritur, quia ipse respondet secundae interrogationi, quod non est Elias.

166 CONTRA: I. Matthaei undecimo: „ Si vultis scire, ipse est Elias „. Ergo aut Dominus dicit falsum, aut ipse.

167 2. Item respondet, se non esse prophetam; contra: Lucae primo: „ Tu puer propheta Altissimi vocaberis „.

168 RESPONDEO: quod Ioannes respondebat magis ad intentionem quaerentium quam ad quaestionem. Intelligendum igitur, quod Iudaei quaerentes de Elia, corporaliter de ipso quaerebant, de illo eodem, qui fuit in veteri testamento; Ioannes vero respondet, quod non est Elias proprie; sed Dominus dicit eum Eliam figurative; quia hoc fuit Ioannes primo adventu, quod Elias secundo. Similiter dicendum, quod ipsi quaerebant de propheta et officio prophetandi praecise, sicut propheta praedicat *future*; Ioannes vero propheta erat et plus quam propheta, quia demonstravit *praesentem*. Ideo secundum intentionem eorum, se non esse prophetam, respondet.

169 Quaest. III. Item quaeritur de tertia responsione: I. Quare scilicet Ioannes dicitur *esse vox*, et quare dixit, se *esse vocem?*

170 2. Item, quid est hoc quod dicit: *Dirigite viam Domini*; quia Ieremiae decimo: „ Scio, Domine, quia non est hominis via eius neque viri, ut dirigat gressus suos „. Ergo adhortatur ad impossibile.

171 RESPONDEO: Dicendum, quod sicut Filius Dei rectissime dicitur *verbum*; ita praecursor eius rectissime dicitur *vox*. *Vox* quadruplicem proprietatem habet respectu verbi, ratione cuius recte dicitur. *Vox praeci* verbum; sic Ioannes Christum; Lucae primo: „ Ipse praebit ante illum in spiritu et virtute Eliae „. *Manifestat* verbum; sic Ioannes

Christum; supra eodem: „ Hic venit noster testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine „. *Transit* et relinquit verbum manens; sic Ioannes Christum; infra tertio: „ Me oportet minui, illum autem crescere „. *Est inutilis* sine verbo; sic Ioannis praedicatio sine Christo; infra eodem: „ Ego baptizo vos in aqua, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis „.

2. Quod obiicitur de directione, dicendum, quod *directio* viae est per gratiam et charitatem, quae a solo Deo est; sed *praeparatio* ad directionem est facienda, secundum quod in nobis est. Et hoc praecipitur hic: Unde Gregorius: „ Via Domini ad cor dirigunt, cum ad praecipuum vita praeparatur „.

173 *Et qui missi fuerant.* Iam dixit Ioannes veritatem de se ipso; hic vero testimonium dat de *Christo* et describit hoc ordine. Primo ponitur *quaerentium improbitas*; secundo, *testimonii veritas*; tertio, *testimonii celebritas*.

Tangitur ergo primo *quaerentium improbitas*; quia, cum audissent veritatem, quaerunt calumniari veritatis doctorem. Et huius ratio erat, quia maligni erant; ideo dicit: *Qui missi fuerant erant ex Pharisaeis*, ideo maligni et observatores; Chrysostomus: „ Illi missi fuerunt, qui veritatem nescierunt quaerere, sed invidere „; ideo malignos et improbe quaerunt. Ideo dicit:

175 *Et interrogaverunt eum et dixerunt ei, quasi ipsum redarguendo: Quid ergo baptizas si tu non es Christus neque Elias neque propheta?* Sine auctoritate facis et stulte. Unde Chrysostomus: „ Quia non valuerunt eum blanditiis supplantare, accusationes ei immittere tentant „. Unde exclamat Chrysostomus: „ O de dementia! o de elatione! o de intemperanti investigatione! Missi estis ab eo edocendi: *Tu quis es?* Et crimen

legis vultis imponere? „ In hoc ergo innuitur quaerentium improbitas.

176 Respondit eis Ioannes. Tangitur hic secundum, scilicet *testimonii veritas*. Ioannes enim veritatem sui officii exprimit et ex hoc dignitatem Christi. Ideo dicit: *Ego baptizo vos in aqua*; id est, lavo exterius, non tanquam Christus interior; sed ad Christum praeparo; unde Actuum decimo nono: „ Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae dicens: In cum, qui venturus erat, ut crederent „. Ideo subdit: *Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis*; id est inter vos; quem nescitis, secundum quod Dominus infra octavo dicit: „ Neque me scitis neque Patrem meum scitis „. Ad illum ego praeparo. Ideo dicit:

177 *Ipse est qui post me venturus est*, quia ego illum praecedo ut praecursor. *Qui ante me factus est*, id est dignior me; infra tertio: „ Me oportet minui, illum autem crescere „. Et quanto dignior sit, ostendit: *Cuius ego non sum dignus, ut solvam corrigiam calcamenti*. Ad litteram hoc verum est, quia nullus quantumcumque bonus debet se dignum reputare, ut etiam Christum discalceet: unde dicebat ille centurio Matthaei octavo: „ Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum „. — *Allegorice* vero calcamentum est humanitas Christi; *pes calcatus*, Divinitas humanata; *corrigia calcamenti*, unio naturarum. *Solvere ergo corrigiam calcamenti* est explicare mysterium unionis, ad quod indignum se Ioannes dicit, quia Isaiae quinquagesimo tertio: „ Generationem eius quis enarrabit? „ quasi dicat: nemo dignus.

178 *Haec in Bethania facta sunt*. Tangitur hic tertium, scilicet *testimonii celebritas*, quae notatur in hoc, quod in loco communi hoc testimonium dedit, ubi plures concurrebant. Ideo dicit: *Haec in Be-*

thania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans; et ita multus populus concurrebat; infra tertio: „ Erat autem Ioannes baptizans in Aenon iuxta Salim, quia aquae multae erant illic „.

Quaest. I. Quaestio parvula hic incidit de hoc quod dicit: *Ego baptizo in aqua*. — 1. Si enim baptizans Ioannis solum exterius carnem lavabat, videtur, quod frustra et inutiliter fiebat.

2. Item, Ioannes Lege perfectior est, ergo baptismus Ioannis Sacramentis Legis: si igitur circumcisio dat gratiam, multo magis baptismus Ioannis.

RESPONDEO: Dicendum, quod baptismus Ioannis non fuit in remedium, sed in praeparationem ad remedium: ideo non sequitur ex hoc, quod sit superfluum; nec sequitur, quod gratiam conferre debeat.

Baptismus autem ille praeparabat ad remedium tripliciter: propter *vitae emendationem*; unde dicitur Matthaei tertio: „ Baptizabantur ab eo confitentes peccata sua „. Propter *assuefactionem*, ut essent idonei et non respuerent baptismum Christi; unde Gregorius: „ Decens erat, ut qui nasciturum nascendo praevenerat, baptizaturum quoque Dominum baptizando praeveneret „. Tertia vero ratio, propter *Christi manifestationem*; infra eodem: *Ut manifestaretur in Israel propterea veni ego in aqua baptizans*.

Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Medius vestrum*. Unde est hoc, quod Dominus semper locum *medium* eligit, cum sit *caput*? — Et videtur, quod non esset in medio eorum; non enim est nisi in medio bonorum.

Dicendum, quod secundum *carnem* erat medius eorum, id est in medio tanquam homo mediocris. Dicitur autem Christus *stare in medio*, vel etiam locum

medium specialiter eligere, quia *medium* est locus *humilitatis*; Lucae vigesimo secundo: „ Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat „, et Matthaei decimo octavo. — Locus *communitalis*, quia uniformiter se habet ad omnes; Actuum decimo: „ In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus „, etc. — Locus *unitatis*, quia extrema ununtur in medio; ad Ephesios secundo: „ Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum „. — Locus *stabilitatis*, quia medium mundi est fixum; primae ad Corinthios tertio: „ Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod est Christus Iesus „. — Locus *proximalis*, quia omnibus partibus approximat; Actuum decimo septimo: „ Si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non sit longe ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus et movemur et sumus „.

185 Quaest. III. Item quaeritur de illo verbo, quod dicit ipse: *Qui post me venturus est*.

186 CONTRA: Matthaei undecimo dicitur, quod misit duos ex discipulis suis dicens ei: „ Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? „ Ibi dubitavit, quomodo hic asserit?

187 Ad hoc dicunt haeretici, quod Ioannes primo credidit, sed postmodum dubitavit. Sed mentiuntur, quia Dominus tunc commendavit Ioannem. — Propter hoc dicendum, quod Ioannes certitudinaliter sciebat, ipsum esse Christum; nec tunc interrogavit per discipulos tanquam dubitans, sed ut dubitationi discipulorum suorum consuleret, qui in eum non credebant.

Varia de Adventu, ex Grancolas.

(COMMENT. HIST. IN BREV. ROM., 189.)

LICET affirmare non possimus, quando celebrari inciperet tempus, atque officium Adventus, nemo tamen inficari poterit, a quinto usque saeculo populis commendatum fuisse, ut se ad Natalis festum pararent. Extant de hoc argumento sermones duo Maximi Taurinensis, atque inter opera S. Ambrosii duo sermones sub huius Patris nomine, qui tamen S. Ambrosii non sunt, sed S. Maximi, vel S. Caesarii, quibus tempus istud designatur pro disponendis animis ad Iesu Christi Natale: *Hoc tempus non immerito Domini Adventum nominatur, nec sine causa SS. Patres Adventum Domini celebrare coeperunt, et sermones de iis diebus ad Populum haberent, ut se unusquisque Fidelis praepararet, et emundaret, quo digne Dei, ac Domini sui Natalitium celebrare valeret*. Scriptor iste, quicumque is demum sit, satis ostendit, tempus istud ante aetatem suam institutum fuisse, atque singulis Adventus diebus concionem habitam fuisse. Videmus quoque ex sermonibus de Tempore S. Augustino tributis, quique inter opera S. Caesarii locari solent, hortationes ad fideles pro concione habitas fuisse, ut se ad synaxim Natali die rite suscipiendam pararent, atque ad id per poenitentiam, eleemosynam, atque continentiam disponerent.

Vetus iste mos Adventus tempore concionandi ad hanc diem servatur. Habemus apud S. Bernardum, atque Ivonem Carnutensem sermones de Adventu Domini. S. Bernardus in primo suorum sermonum de tempore hoc tanquam celebri meminit: *Hodie celebramus Adventus initium, cuius nomen utique celebre satis, et notum mundo*. In capitularibus Caroli Calvi an. 846, Episcopi facultatem petunt ab aula secedendi Adventus tempore, atque ad Dioeceses suas redeundi, ut praedicationi, atque aliis Ministerii ipsorum muneribus vacarent: *Maxime in Sacratissimis temporibus Quadragesimae, et Adventus Domini*. De ieiunio vero Adventus nullum aliud vestigium superest, quam in Officio quod Feriarum diebus celebratur, more Quadragesimali, excepta missa, quae post sextam tantum recitatur. Nulla quoque matrimonia per hoc tempus celebrantur, per quod olim coniugati continentiam servabant.

Ad rite Adventus Officium intelligendum necesse est observare, Ecclesiam duplicem simul Iesu Christi Adventum nobis proponere, ad pietatem nostram duplici hoc argumento magis occupandam. Inde est, quod tot ibi inveniantur ad gloriam referenda, quae Iesum Christum in altero suo Adventu debet comitari, licet praecipuus finis sit, nos

ad Natalis Festum disponere, quod ad primum dumtaxat Adventum refertur. Ieiunium non adeo rigide Adventus, quam Quadragesimae tempore servabatur.

FERIA TERTIA

Homilia S. Augustini Episcopi.

IN IOANN. EVANG. TRACT. 4. CAP. 1.

191 **S**AEPPISSIME audivit Sanctitas vestra, et optime nostis, quoniam Ioannes Baptista quanto praeclearior erat in natis mulierum, et quanto humilior ad cognoscendum Dominum, tanto meruit esse amicus sponsi; sponso zelans, non sibi; non suum honorem quaerens, sed iudicis sui, quem tamquam praeco praebat. Itaque Prophetis praecedentibus praenuntiare de Christo futura concessum est; huic autem digito ostendere. Sicut enim ignorabatur Christus ab his qui Prophetis non crediderunt antequam veniret, sic ab eis ignorabatur et praesens. Venerat enim humiliter primo et occultus; tanto occultior, quanto humilior: populi autem spernentes per superbiam suam humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem suum, et fecerunt damnatorem suum.

192 Sed qui primo venit occultus, quia venit humilis, numquid deinceps non est venturus manifestus, quia excelsus? Audistis modo Psalmum: *Deus manifestus venit, Deus noster et non silebit*. Siluit ut iudicaretur, non silebit cum coeperit iudicare. Non diceretur, *manifestus venit*, nisi primo venisset occultus; nec diceretur, *non silebit*, nisi quia primo siluit. Quomodo siluit? Interrogat Isaiam: *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram eo qui se tonderet, fuit sine voce, sic non aperuit os suum* (Is.

lmi, 7). *Veniet autem manifestus, et non silebit*. Quomodo manifestus? *Ignis ante eum praebit, et in circulo eius tempestas valida* (PSAL. XLIX, 3). Tempestas illa tollere habet totam paleam de arca, quae modo tritatur; et ignis incendere quod tempestas abstulerit. Modo autem tacet: tacet iudicio, sed non tacet praecepto. Si enim tacet Christus, quid sibi volunt haec Evangelia? quid sibi volunt voces Apostolicae, quid cantica Psalmorum, quid eloquia Prophetarum? In his enim omnibus Christus non tacet. Sed tacet modo, ut non vindicet: non tacet, ut non moneat. Veniet autem praeclearus in vindictam, et apparebit omnibus, et qui in eum non credunt. Modo vero quia et praesens occultus erat, oportebat ut contemneretur. Nisi enim contemneretur, non crucifigeretur: si non crucifigeretur, non funderet sanguinem, quo pretio nos redemit. Ut autem daret pretium pro nobis, crucifixus est; ut crucifigeretur, contemptus est; ut contemneretur, humilis apparuit.

Tamen quia quasi in nocte apparuit in corpore mortali, lucernam sibi accendit unde videretur. Ipsa lucerna Ioannes erat (IOANN. V, 35), de quo iam multa audivistis: et praesens lectio Evangelii, verba Ioannis continet, primo, quod praecipuum est, confitentis quia non ipse erat Christus. Tanta autem excellentia erat in Ioanne, ut posset credi Christus: et in eo probata est humilitas eius, quia dixit se non esse, cum posset credi esse. Ergo: *Hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudaei ab Hierosolymis sacerdotes et Levitas ad eum: ut interrogarent eum: Tu quis es? Non autem mitterent, nisi moverentur excellentia auctoritatis eius, quia ausus est baptizare. Et confessus est, et non negavit*. Quid confessus est? *Et confessus est, Quia non sum ego Christus*.

194 *Et interrogaverunt eum, Quid ergo?*

Elias es tu? Noverant enim quia praecessurus erat Elias Christus. Non enim alicuius cognovimus nomen Christi apud Iudaeos. Istum non putaverunt esse Christum: non omnino Christum non esse venturum. Cum sperarent venturum, sic offenderunt in praesentem, offenderunt tamquam in humilem lapidem. Lapis enim ille adhuc parvus erat, iam quidem praecisus de monte sine manibus; sicut dicit Daniel propheta, vidisse se lapidem praecisum de monte sine manibus. Sed quid sequitur? *Et crevit, inquit, lapis ille, et factus est mons magnus, et implevit universam faciem terrae* (DAN. II, 34, 35). Videat ergo Charitas vestra quod dico: Christus ante Iudaeos iam praecisus erat de monte. Montem regnum vult intelligi Iudaeorum. Sed regnum Iudaeorum non impleverat universam faciem terrae. Inde praecisus est ille lapis, quia inde natus est in praesentia Dominus. Et quare sine manibus? Quia sine opere virili Virgo peperit Christum. Iam ergo erat lapis ille praecisus sine manibus, ante oculos Iudaeorum; sed humilis erat. Non immerito; quia nondum creverat lapis ille, et impleverat orbem terrarum: quod ostendit in regno suo, quod est Ecclesia, qua implevit totam faciem terrae. Quia ergo nondum creverat, offenderunt in illum tamquam in lapidem: et factum est in eis quod scriptum est: *Qui ceciderit super lapidem istum, conquassabitur; et super quos ceciderit lapis ille, conteret eos* (LUC. XX, 18). Primo super humilem ceciderunt; excelsus super illos venturus est: sed ut eos venturus excelsus conterat, primo eos humilis quassavit. Offenderunt in eum, et quassati sunt; non contriti, sed quassati: venit excelsus, et conteret eos. Sed ignoscendum est Iudaeis, quia offenderunt in lapidem qui

nondum creverat. Quales sunt illi qui in ipsum montem offenderunt? Iam de quibus dicam cognoscitis. Qui negant Ecclesiam toto orbe diffusam, non in humilem lapidem, sed in ipsum montem offendunt: quod factus est ille lapis dum cresceret. Caeci Iudaei non viderunt humilem lapidem: quanta caecitas est non videre montem?

Ergo viderunt humilem, et non cognoverunt. Demonstrabatur illis per lucernam. Nam primo ille, quo maior nemo surrexerat in natis mulierum, dixit: *Non sum ego Christus*. Dictumque illi est: *Nunquid tu es Elias?* Respondit: *non sum*. Christus enim praemitit ante se Eliam: et dixit: *Non sum*, et fecit nobis questionem. Timendum est enim ne minus intelligentes, contraria putent Ioannem dixisse quam Christus dixit. Quodam enim loco, cum Dominus Iesus Christus in Evangelio quaedam diceret de se, responderunt illi discipuli: *Quomodo ergo dicunt Scribae, id est periti Legis, quia Eliam oportet primum venire?* Et ait Dominus: *Elias iam venit, et fecerunt ei quae voluerunt; et si vultis scire, ipse est Ioannes Baptista* (MATTH. XVII, 10-13, et XI, 11-14). Dominus Iesus Christus dixit: *Elias iam venit, et ipse est Ioannes Baptista*: Ioannes autem interrogatus sic se confessus est Eliam non esse, quomodo nec Christum esse. Et utique sicut verum confessus est Christum se non esse, sic verum confessus est nec Eliam se esse. Quomodo ergo comparabimus dicta praecisus cum dictis iudicis? Absit ut praeco mentiat: hoc enim loquitur quod audit a iudice. Quare ergo ille, *Non sum Elias*: et Dominus, *Ipsa est Elias*? Quia in eo Dominus Iesus Christus praefigurare voluit futurum adventum suum, et hoc dicere, quia in spiritu Eliae erat Ioannes. Et quod erat Ioannes ad primum adven-

tum, hoc erit Elias ad secundum adventum. Quomodo duo adventus iudicis, sic duo praecones. Iudex quidem ipse, praecones autem duo: non duo iudices. Oportebat enim iudicem primo venire iudicandum. Misit ante se primum praeconem, vocavit illum Eliam; quia hoc erit in secundo adventu Elias, quod in primo Ioannes.

196 Namque intendat Charitas vestra quam verum dicam. Quando conceptus est Ioannes, vel potius quando natus est, Spiritus sanctus hoc de illo homine implendum prophetavit: *Et erit, inquit, praecursor Altissimi, in spiritu et virtute Eliae* (Luc. 1, 17). Non ergo Elias, sed in spiritu et virtute Eliae? In eodem Spiritu sancto vice Eliae. Quare vice Eliae? Quia quod Elias secundo, hoc Ioannes primo adventui fuit. Recte ergo modo Ioannes proprie respondit. Nam Dominus figurate, *Elias ipse est Ioannes*: iste autem, ut dixi, proprie, *Non sum ego Elias*. Si figuram praecursionis advertas, Ioannes ipse est Elias: quod enim ille ad primum adventum, hoc ille ad secundum erit. Si proprietatem personae interroges, Ioannes Ioannes, Elias Elias; Dominus ergo ad praefigurationem recte, *Ipse est Elias*: Ioannes autem recte ad proprietatem: *Non sum Elias*. Nec Ioannes falsum, nec Dominus falsum: nec praeco falsum, nec Iudex falsum; sed si intelligas. Quis autem intelliget? Qui imitatus fuerit humilitatem praeconis, et cognoverit celsitudinem iudicis. Nihil enim humilium ipso praecone. Fratres mei, nullum tantum meritum Ioannes habuit quam de ista humilitate, quod cum posset fallere homines, et putari Christum, et haberi pro Christo (tantae enim gratiae tantaque excellentiae fuit), confessus est tamen aperte, et dixit: *Non sum ego Christus. Numquid tu Elias es?*

Iam si diceret, Elias sum; ergo iam in secundo adventu adveniens Christus iudicaret, non adhuc in primo iudicaretur. Tamquam dicens: Venturus est et Elias; *Non sum, inquit, Elias*. Sed observate humilem, ante quem venit Ioannes, ne sentiatis excelsum ante quem venturus est Elias. Nam et Dominus ita complevit; *Ipse est Ioannes Baptista qui venturus est*. Ipsa praefiguratione venit iste, qua proprietate venturus est Elias. Tunc Elias per proprietatem Elias erit, nunc per similitudinem Ioannes erat. Modo Ioannes per proprietatem Ioannes, per similitudinem Elias est. Ambo praecones sibi dederunt similitudines suas, et tenuerunt proprietates suas: unus autem Dominus iudex, sive illo praecone praecedente, sive illo.

Et interrogaverunt eum: Quid ergo? 197 *Elias es tu? Et dixit: Non. Et dixerunt ei: Propheta es tu? Et respondit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es tu? ut responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de teipso? At: Ego vox clamantis in deserto. Isaias illud dixit (Is. xl, 3). In Ioanne prophetia ista impleta est, Ego vox clamantis in deserto. Quid clamantis? Dirigite viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Non vobis videtur praeconis esse dicere, Exite, facite viam? Nisi quod praeco Exite dicit: Ioannes dicit, Venite. A iudice repellit praeco, ad iudicem vocat Ioannes. Imo vocat Ioannes ad humilem, ne iudex sentiat excelsus. Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Non dixit, Ego sum Ioannes, ego sum Elias, Ego sum propheta. Sed quid dixit? Hoc vocor, *Vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domino*: ego sum ipsa propheta.*

Et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis: id est, ex principibus Iudaeorum. *Et interrogaverunt, et dixerunt ei: Quid*

ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias; neque propheta? Quasi audacia videbatur esse baptizare, quasi, In qua persona? Quaerimus utrum tu sis Christus; tu dicis te non esse: quaerimus ne forte praecursor illius sis, quia novimus ante Christi adventum venturum esse Eliam; negas te esse: quaerimus ne forte aliquis multum praeveniens praeco es, id est propheta, et accepisti hanc potestatem; nec prophetam te esse dicis. Et non erat propheta Ioannes: maior erat quam propheta. Dominus de illo tale testimonium dedit: *Quid existis in deserto videre? Arundinem vento agitari. Utique, Non vento agitari, subaudis; quia non hoc erat Ioannes, quasi qui a vento moveretur: qui enim a vento moveretur, circumflatur omni spiritu seductorio. Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum?* Vestiebatur enim Ioannes asperis, id est, tunica facta de pilis cameli. *Ecce qui mollibus vestitur, in domibus regum sunt.* Non ergo existis videre hominem mollibus vestitum. *Sed quid existis videre? Prophetam? Ita dico vobis, maior quam propheta hic* (MATTH. XI, 7, 8, 9): quia prophetae longe ante praenuntiaverunt, Ioannes praesentem demonstrabat.

199 *Quid ergo tu baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? Respondit eis Ioannes, et dixit: Ego baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit quem vos nescitis. Humilis enim non videbatur, et propterea lucerna accensa est. Videte quomodo dat locum, qui aliud posset putari. Ipse est qui post me venit, qui ante me factus est. Sicut iam diximus, id est, antepositus est mihi. Cuius ego non sum dignus ut solvam corrigiam calcamenti eius. Quantum se abiecit? Et ideo multum elevatus est; quoniam qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. xiv, 11). Unde debet videre Sanctitas ve-

stra, quia si Ioannes sic se humiliavit, ut diceret: *Non sum ego dignus corrigiam solvere*; quomodo habent humiliori, qui dicunt: Nos baptizamus, nos quod damus nostrum est, et quod nostrum est, sanctum est. Ille dicit: Non ego, sed ille: illi dicunt, Nos. Non est dignus Ioannes solvere corrigiam calcamenti eius: quod si dignum se diceret, quam humilis esset? Et si dignum se diceret, et sic diceret, Ille venit post me, qui ante me factus est, cuius tantummodo corrigiam calcamenti dignus sum solvere; multum se humiliasset. Quando autem nec ad hoc dignum se dicit, vere plenus Spiritu sancto erat, qui sic servus Dominum agnovit, et ex servo amicus fieri meruit.

FERIA QUARTA

QUATUOR TEMPORUM ADVENTUS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
Luc. 1, 26-38.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis Maria.

26. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

27. Quae cum audisset, turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista saluatio.

28. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inventi enim gratiam apud Deum:

29. ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius IESUM.

30. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius: et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.

31. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?

32. Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

33. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis:

34. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

35. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

EXPOSITIO IN LUCAM, LIB. 2.

LATENT quidem divina mysteria, nec facile iuxta prophetium dictum quisquam hominum potest scire consilium Dei, sed tamen ex ceteris factis atque praeceptis Domini Salutaris possumus intelligere et hoc perperserioris fuisse consilii, quod ea potissimum electa est ut Dominum pareret, quae erat desponsata viro. Cur autem non antequam desponsaretur, impleta est? Fortasse ne diceretur quod conceperat ex adulterio. Et bene utrumque posuit Scriptura, ut et desponsata esset, et virgo; virgo, ut expers virilis consortii videretur; desponsata, ne temeratae virginittas adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre. Maluit autem Dominus aliquos de suo ortu quam de matris pudore dubitare; sciebat enim teneram esse virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris; nec putavit ortus sui fidem matris iniuriis astruendam. Servatur itaque sanctae Mariae sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione virginittas; oportet enim sanctos et ab his testimonium habere qui foris sunt: nec decuit sinistra virginibus opinione viventibus velamen excusationis relinquere, quod infamata mater quoque Domini videretur.

Quid autem Iudaeis, quid Herodi posset ascribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti? Quemadmodum autem ipse diceret: *Non veni legem solvere, sed adimplere* (MATTH. V, 17), si videretur coepisse a legis iniuria, cum partus innuptae lege damnetur? (DEUT. XIII, 17). Quin etiam locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset et dolere iniuriam, et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum. Quid quod etiam fides Mariae verbis maior asciscitur, et men-

daci causa removetur? Videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta praegnans. Causam autem mentendi indesponsata habuit, desponsata non habuit, cum coniugii praemium et gratia nuptiarum partus sit feminarum.

Non mediocris quoque causa est, ut virginittas Mariae falleret principem mundi: qui cum desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum. Fallendi autem principis mundi fuisse consilium, ipsius Domini verba declarant, cum Apostoli iubentur tacere de Christo (MATTH. XVI, 20), cum sanati prohibentur gloriarum de remedio (MATTH. VII, 4), cum daemones praecipuntur silere de Dei Filio (LUC. IV, 35). Fallendi, ut dixi, principis mundi fuisse consilium etiam Apostolus declaravit dicens: *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam... quam nemo principum istius saeculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent* (I COR. II, 7, 8), hoc est, nunquam me redimi Domini morte fecissent. Fefellit ergo pro nobis, fefellit ut vinceret, fefellit diabolum cum tentaretur, cum rogaretur, cum Dei Filius diceretur, ut nusquam divinitatem propriam fateretur. Sed tamen magis fefellit principem saeculi: diabolum enim etsi aliquando dubitavit, cum diceret: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum* (MATTH. IV, 6), tamen, vel sero cognovit, et discessit ab eo. Cognoverunt et daemones qui dicebant: *Novimus qui sis Iesu Filius Dei. Quid venisti ante tempus torquere nos?* (MATTH. VIII, 29). Et ideo venisse cognoverunt, qui praecognitum habebant esse venturum. Principes autem saeculi non cognovisse, quo maiore possumus cum apostolicae sententiae probare documentum: "Si enim cognovissent, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent?" Daemonum enim malitia facile etiam occulta

deprehendit; at vero qui saecularibus vanitatibus occupantur, scire divina non possunt.

Bene autem sibi dividerunt evangelistae, ut sanctus Matthaeus Ioseph ab angelo moneri induceret Mariam coniugem accipere (MATTH. I, 20); Lucas illic evangelista testimonium ferret quod non convenissent: hic ipsa Maria fateretur, cum dicit Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognovi?* (LUC. I, 34, infra). Et ipse sanctus Lucas virginem declaravit dicens: *Et nomen Virginis Maria. Et Propheta edocuit qui ait: Ecce virgo in utero accipiet* (IS. VII, 14). Et Ioseph designavit, qui quoniam praegnantem videbat quam non cognoverat, dimittere gestiebat (MATTH. I, 19). Et Dominus ipse in cruce positus manifestavit, cum dixit Matri: *Mulier, ecce filius tuus. Deinde discipulo: Ecce mater tua* (IOANN. XIX, 26, 27). Etiam uterque testis est, discipulus et Mater, quia: *Ex illa hora suscepit eam discipulus in sua* (Ibid. 27). Utique si convenisset, nunquam virum proprium reliquisset, nec vir eam iustus passus esset a se discedere. Quomodo autem Dominus divortium praecipisset, cum ipsius sit sententia, quia nemo dimittere debet uxorem, excepta causa fornicationis? (MATTH. V, 32).

Pulchre autem (27, quaest. 2, c. *Quod autem, § Item si coniuges*) docuit sanctus Matthaeus quid facere debeat iustus, qui probrum coniugis deprehenderit, ut incruentum ab homicidio, castum ab adulterio, praestare se debeat: *Qui (enim) coniungitur meretrici, unum corpus est* (I COR. VI, 16). Ergo ubique in Ioseph iusti gratia et persona servatur, ut testis ornatur; os enim iusti mendacium nescit, et lingua eius loquitur iudicium, iudicium eius loquitur veritatem. Nec te moveat quod frequenter Scriptura coniugem dicit; non enim virginittas ereptio, sed

coniugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Denique quam non accepit, nemo dimittit, et ideo qui volebat dimittere, fatabatur acceptam.

Simul etiam movere non debet quod ait Evangelista: *Non cognovit eam, donec peperit filium* (MATTH. I, 25); illud enim vel idioma Scripturae est, sicut habes alibi: *Et donec senescatis, ego sum* (IS. XLVI, 4). Numquid post illorum senectutem Deus esse desivit? Et in Psalmo: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum* (PSAL. CIX, 1). Numquid postea non sedebit? Vel quoniam qui causam agit, satis putat quod causae est dicere, redundantia non requirit; satis enim est ei ut causam susceptam astruat, incidentem differat. Et ideo qui incarnationis incorruptum susceperat probare mysterium, non putavit uberius prosequendum virginittas Mariae testimonium; ne defensor magis Virginis, quam assertor mysterii crederetur. Certe quando iustum docuit Ioseph, satis declaravit quod sancti Spiritus templum, uterum mysterii, Matrem Domini violare non potuit.

Didicimus seriem veritatis, didicimus consilium, discamus et mysterium. Bene desponsata, sed virgo; quia est Ecclesiae typus, quae est immaculata, sed nupta. Concepit nos virgo de Spiritu, parit nos virgo sine gemitu. Et ideo fortasse sancta Maria alii nupta, ab alio repleta; quia et singulae Ecclesiae Spiritu tamen replentur et gratia; iunguntur tamen ad temporalis speciem sacerdotis.

Et ingressus ad eam Angelus dixit: *Ave, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu inter mulieres. Ipsa autem ut vidit eum, mota est introitu eius. Disce virginem moribus, disce virginem verecundiam, disce virginem oraculo, disce mysterio.*

Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret; sola sine comite, sola sine teste: ne quo degeneri depravaretur affatu, ab Angelo salutatur. Disce, Virgo, verborum vitare lasciviam; Maria etiam salutationem Angeli verebatur.

208 *Erat tamen, inquit, cogitans, qualis esset haec saluatio.* Et ideo cum verecundia, quia pavebat; cum prudentia, quia benedictionis novam formulam mirabatur, quae nusquam lecta est, nusquam ser- vabatur. Sola Mariae haec saluatio ser- vabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quae sola gratiam quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiae reple- retur auctore. Erubescibat ergo Maria, erubescibat etiam Elisabeth; et ideo co- gnoscamus quid intersit inter mulieris et Virginis verecundiam; illa de causa eru- bescebat, haec per verecundiam; in mu- liere modus pudoris adhibetur, in Vir- gine pudoris augetur gratia.

209 *Et ait Angelus ad eam: Ne timeas, Ma- ria, invenisti enim gratiam apud Deum, et ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus.* Dictum est quidem etiam de Ioanne ab Angelo, quia erit magnus (LUC. I, 15); sed ille quasi homo magnus, hic au- tem quasi Deus magnus: *Magnus enim Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudi- nis eius non est finis* (PSAL. CXLIV, 3). Et vere est ille magnus; quia maior inter- natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est (LUC. VII, 28). Habet tamen ma- iorem; quia qui minor est in regno Dei, maior est illo (Ibid.). Magnus autem Ioan- nes, sed coram Domino magnus. Et Ioan- nes vinum et siceram non bibit, hic cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit. Ille abstinentia meritum colligat,

cui potentia nulla naturae; Christus au- tem cui naturaliter suppetebat delicta donare, cur eos declinaret, quos absti- nentibus poterat praestare meliores?

Simul mystice non dedignatur eorum 210 convivium, quibus daturus est sacramen- tum. Hic ergo manducat, ille ieiunat; utriusque populi typus in illo ieiunat, in hoc paschitur. Sed ieiunavit et Chri- stus, ne praeceptum declinares; manduca- vit cum peccatoribus, ut gratiam cer- neres, agnosceres potestatem. Magnus ergo et Ioannes, sed huius magnitudo habet principium, habet finem; Dominus autem Iesus idem est finis atque princi- pium, idem primus et novissimus. Nihil ante primum, nihil ultra novissimum.

211 Neque te generationis humanae con- suetudo in vitium trahat, ut putes non primum esse, quia filius est. Sequere Scripturas, ut errare non possis. Primus Filius dicitur. Lectum est etiam quia et solus Pater, qui solus habet immortalita- tem et lucem habitat inaccessibilem (I TIM. VI, 16); sicut legisti: *Et immortali soli... Deo* (Ibid. I, 17); sed neque primus ante Patrem, neque solus sine Filio. Si alterum negas, alterum astruis, utrumque sequere, et utrumque confirmas. Non dixit: Ego prior, et ego posterior, sed: *Ego primus, et ego novissimus* (APOC. I, 8, XXII, 13). Primus est Filius, et ideo coaeternus; habet enim Patrem, cum quo sit aeternus. Audeo dicere. Primus est Filius, sed solus non est; et bene dico, et religiose dico. Quid erigit ad impietatem, haeretici, aures? In laqueos quos tenditis, incidistis. Primus est Fi- lius, et solus non est; primus, quia cum Patre semper: solus non est, quia sine Patre numquam est. Non ego hoc dico, sed ipse dixit: *Et non sum solus, quia Pater mecum est* (IOANN. XVI, 32). Solus Pater, quia unus Deus; solus Pater, quia sola divinitas Patris et Filii et Spiritus

sancti; et quod unum est, solum est. So- lus Pater, solus Unigenitus, solus et Spiritus sanctus; neque enim qui Filius, et Pater; aut qui Pater, et Filius; aut qui Spiritus sanctus, et Filius. Alius Pa- ter, alius Filius, alius Spiritus sanctus; legimus enim: *Rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis* (IOANN. XIV, 16). Solus Pater, quia unus Deus, ex quo omnia; solus Filius, quia unus Dominus, per quem omnia. Solum divinitas facit, generatio et Patrem testificatur et Filium; ut nusquam Filius sine Patre, aut Pater esse videatur sine Filio. Ergo nec solus, quia non solus immortalis: nec solus lucem habitat inaccessibilem; quia Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris (IOANN. I, 18), qui sedet ad dexteram Patris. Et hinc quidam audent dicere inaccessibilem lucem esse quam habitat Pater. Numquid lux melior Patre? Quae autem lux inaccessibilis ei cui non est inaccessibilis Pater? Et ipse lux vera, et Genitor lucis aeternae, de qua dictum est: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mun- dum* (IOANN. I, 9). Vide ne illa sit lux inaccessibilis quam habitat Pater, habitat et Filius: quia Pater in Filio, et Filius in Patre.

212 Bene ergo magnus; late enim funditur Dei virtus, late coelestis substantiae ma- gnitudo porrigitur. Nihil praescriptum, nihil circumscriptum, nihil emensum, ni- hil dimensum Trinitas habet. Non loco clauditur, non opinione comprehenditur, non aetimatione concluditur, non aetate variatur. Dedit quidem Dominus Iesus hominibus magnitudinem: *In omnem enim terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* (PSAL. XVIII, 5); non in fines tamen mundi, non in fines coeli, non ultra coelos. At vero in Domino Iesu *Omnia condita sunt in coelis et in ter- ra, visibilia et invisibilia... et ipse est ante*

omnes, et omnia in ipso constat (COLOSS. I, 16, 17). Coelum aspice, Iesus illic est; terram intueri, Iesus desbo; ascende verbo in coelum, descendere verbo in infer- num, Iesus adest. Etenim si ascenderit in coelum, Iesus illic est; si descenderit in infernum, adest. Hodie cum loquor, mecum est, intra hoc punctum, intra hoc momentum. Et si in Armenia nunc lo- quitur Christianus, Iesus adest: *Nemo* (enim) *dicit Dominum Iesum, nisi in Spi- ritu sancto* (I COR. XII, 3). Abyssos opi- nione si penetres, illic quoque Iesum videbis operari; scriptum est enim: *Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendit in coelum? id est Christum deducere: aut quis descendit in abyssum? hoc est Chri- stum a mortuis reducere* (ROM. X, 6, 7). Ubi ergo non est, qui coelestia, inferna et terrena complevit? Bene ergo magnus, cuius virtus mundum replevit, qui ubique est, et erit semper; quia *regni eius non erit finis*.

213 *Dicit autem Maria ad Angelum: Quo- modo fiet istud, quoniam virum non cogovi?* Videtur hic non credidisse Maria, nisi diligenter advertas; neque enim fas est ut electa ad generandum unigenitum Dei Filium, fuisse videatur incredula. Quo autem modo fieri posset (licet salva praerogativa sit matris, cui profecto fuit amplius deferendum; sed ut praerogativa maior, maior etiam fides ei debuit reser- vata), quo ergo modo fieri posset, ut Zacharias qui non crederat, silentio condemnaretur: Maria autem si non credidisset, Spiritus sancti infusione exalta- retur? Sed neque non credere Maria, neque tam temere debuit usurpare: non credere Angelo, usurpare divina. Neque enim facile erat scire mysterium abscon- ditum a sacculis in Deo, quod nec superio- res Potestates scire poterunt. Et ta- men non fidem renuit, non officium refuta- vit: sed accomodavit affectum, sponondit

obsequium. Etenim cum dicit: *Quomodo fiet istud?* non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quaesivit effectus.

214 Quanto temperatis ista responsio, quam verba sunt sacerdotis? Haec ait: *Quomodo fiet istud?* Ille respondit: *Unde hoc sciam?* (Supr. vers. 18). Haec iam de negotio tractat: ille adhuc de nuntio dubitat. Negat ille se credere, qui negat scire; et quasi fidei adhuc alium quaerit auctorem: ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, quod quomodo fieri possit, inquit; sic enim habes: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognovi?* Incredibilis et inaudita generatio ante audiri debuit, ut crederetur. Virginem parere, divini est signum mysterii, non humani. Denique: *Accipe*, inquit, *tibi signum: Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium* (Is. vii, 14). Legerat hoc Maria, ideo credidit futurum; sed quomodo fieret, ante non legerat; non enim quemadmodum fieret, vel tanto Prophetata fuerat revelatum. Tanti namque mandati mysterium non hominis fuit, sed angeli ore promendum. Hodie primum auditur: *Spiritus sanctus superveniet in te*. Et auditur, et creditur. Denique: 215 *Ecce, inquit, ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum*. Vide humilitatem, vide devotionem. Ancillam se dicit Domini, quae mater eligitur; nec repentino exaltata promisso est. Simul ancillam dicendo, nullam sibi praerogativam tantae gratiae vindicavit, quae faceret quod iuberetur. Mitem enim humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipsa praeferre. *Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum*. Habes obsequium, vides votum. *Ecce, enim, ancilla Domini*, apparatus officii est: *Contingat mihi secundum verbum tuum*, conceptus est voti.

216 Quam cito ergo etiam de impari conceptione credidit Maria! Quid enim tam

impar quam Spiritus sanctus, et corpus? Quid tam inauditum, quam Virgo praegnans contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius charior cura est virgini? Zacharias autem non de impari conditione, sed de senili aetate non credit; nam conditio congruebat. Ex viro et femina sollemnis est partus: nec incredibile debet videri, ubi natura concordat. Cum enim aetas naturae sit, non natura aetatis, fit plerumque ut aetas impediatur naturam; non est tamen irrationabile ut minor cedat causa maiori, et potior praerogativa naturae usum inferioris excludat aetatis. Huc accedit quod Abraham et Sara filium in senectute susceperant; et Ioseph filius senectutis est. Quod si, quia risit Sara, reprehenditur (Gen. xviii, 13), iustius condemnatur qui nec oraculo credidit, nec exemplo. Maria autem cum dicit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognovi?* (Supra, vers. 34) non videtur dubitasse de facto, sed de facti qualitate quaesivisse. Liqueat enim quia faciendum esse crederat, quae quomodo fieret, interrogavit. Unde et meruit audire: *Beata quae credidisti* (Infra, vers. 45). Et vere beata, quae sacerdote praestantior; cum sacerdos negasset, Virgo correxit errorem. Nec mirum si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit a Maria; ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.

Et bene quaesivit quomodo fieret; legerat enim quia Virgo generaret, sed non legerat quemadmodum generaret. Legerat, ut dixi: *Ecce virgo in utero accipiet* (Is. vii, 14): quomodo autem acciperet, in Evangelio primum Angelus est locutus.

^a Deus, ne incredula esset Maria angeli verbis, ipse prohibuit. Nihil igitur habetur in textu isto veritati immaculatae Conceptionis B. M. V. contrarium, ut probant eruditi.

Varia de Adventu, ex Benedicto XIV.

(INSTIT. IV, 2-4.)

II.

218 Ieiunia quatuor temporum statis anni temporibus celebrari plurimus de causis consueverant. Primum quidem ne Iudaei, qui publice indictum Ieiunium quater in anno religiose servabant, Christianos temperantiae virtute superarent. Deinde, cum a veteri Ecclesiae disciplina recedendum fuerit, ob quam sacrae ordinationes mense Decembri tantum haberi solebant, ob idque alia tria tempora, vere scilicet, aestate ac autumno ineuntibus, ad illas peragendas constituta fuerint, omnino rationi consentaneum visum est, ut Ieiunium pariter adhiberetur, quemadmodum ex Sacris Litteris deprehenditur, dum Barnabae, ac Sauli ordinationem commemorant: *Tunc ieiunantes, et orantes, impo-*

nesque eis manus, dimiserunt illos. Tertio ut pro fragibus Deo gratias persolvamus, cum iis praecipue temporibus vel terrae mandentur, vel marescant, vel defectae in horrea congerantur.

219 Denique, ut Ieiunium, aliisque piis operibus nostra crimina sine ulla intermissione expiemus; quae omnia a Venerabili Dei famulo Cardinali Roberto Bellarmino fassus, et luculentius explicantur.

220 III. Sancto Callisto Pontifici, qui initio tertii saeculi martyrii palmam est assecutus, huiusmodi instituto tribuitur, vel saltem, cum Ieiunium ter in anno fieret veteri consuetudine, quartum ipse traditur admississe. In Pontificali Libro, cuius Auctor Anastasius Bibliothecarius nuncupatur, cum de rebus gestis S. Callisti agitur, haec memorantur: *Constituit Ieiunium quater in anno fieri, frumenti, vini, et olei gratia secundum Prophetiam*. At in vetustissimo eiusdem libri exemplari servato in celebri Bibliotheca Colbertina (a quo nihil omnino dissentit alterum, quod in Reginae Svecorum Bibliotheca extabat), ita scriptum invenimus: *Hic constituit Ieiunium die Sabbati ter in anno fieri, frumenti, vini, et olei gratia secundum Prophetam, quarti mensis, septimi et decimi*. Utrumque testimonium in hanc sententiam Isidorus Mercator coniunxit: *Ieiunium quod ter in anno apud nos celebrare, didicisti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus*. Id autem Callisti decretali Epistola ad Benedictum Episcopum confirmari plane videtur.

221 IV. Hanc porro Callisto minime tribuendam contendit Petrus Constant, qui Romanorum Pontificum Epistolas collegit, ac Parisiis anno 1721 typis mandavit: *Callisto* (inquit) *Isidorus Mercator duas suppositit Epistolas, gemino parenti aliquando cum reliquis ipsius foetibus reddendas*. Cum tamen in dubium veritas huiusce monumenti revocetur,

et historiae ecclesiae princeps ipse Baronius anceps, incertusque rei fuisse videatur, cum satis modeste inquit: *Nam ipse, si qua de his scriptis: illud statuendum est (salva semper libri Pontificali, quam supra memoravimus, fide), quod cum Iudaei quater in anno Ieiunio addicti essent, non ritu quodam, aut solenni caeremonia, quae Salvatoris Adventum indicaret, sed virtutis potius, ac temperantiae causa, hinc apostolica traditione huius Ieiunii consuetudo recenti Ecclesiae proposita ad nos usque dimanaverit, ut S. Leo Magnus quinti saeculi scriptor testatur, cuius sententiam Cardinalis Baronius his verbis complectitur: Ipsa quidem quatuor anni temporum Ieiunia, quae in Ecclesia servari solent, ex Apostolica Institutione sumptis principium S. Leo absque ulla dubitatione confirmat*. In hanc opinionem scripsit etiam Thomassinus cum de Ieiunio satis copiose, atque erudite disserteret. Cum deinde aliqua ex parte vetus disciplina immutata esset, et nonnulla Ecclesiae verum Ieiunium mense Martio, aestivum vero in hebdomada, quae post Festum Pentecostes sequitur, quodam more celebrarent, Sanctus Gregorius VII Quadragesimae initio primum Ieiunium fieri, alterum vero in hebdomada Pentecostes perpetua lege constituit. Ita commemorat Micrologus scriptor S. Gregorio coaevus; et Concilium pariter Claromontii habitum sub Urbano secundo decernit, ut, *Ieiunium secundo semper in hebdomada Pentecostes celebraretur*. Quae omnia praestantium Virorum Orderici Vitalis et Muratorii auctoritatis confirmantur.

FERIA QUINTA

Homilia S. Thomae Aquinatis.

IN IOANN. CAP. I, LECT. 13.

222 SUPRA ostendit Evangelista quomodo Christus innotuit testimonio Ioannis ipsis Apostolis; hic plenus explicat ipsum testimonium; et primo ponit testimonium Ioannis ad turbas; secundo vero testimonium quod perhibuit de Christo discipulis suis, ibi: *Altera die iterum stabat*. Si autem bene considerentur quae dicta sunt, duplex testimonium Ioannis ad Christum invenitur. Unum quod tulit Christo in eius

